

Utinam & mihi aliquando occasio suppeditaretur, qua benevolentiam & studium meum erga te testificari possem: interea velim pro pignore amicitiae nostrae retineas Tractationem meam Geometricam de Quadratura circuli, iudicioque tuo acerrimo subiicias, & quam diligentissime examinandam proponas. Voluissem equidem libentius otium meum in rebus Chronologicis consumere, nominique tuo celeberrimo materiam gratiorem consecrare: sed quia angustia temporis passa non est, ut longius euagarer, spero te munusculum hoc mathematicum animo exquisitissimo suscepturum, donec maiora & auribus tuis digniora proferre liceat. Disputatio antiquissima est, & inter geometras plurimum agitata, quomodo area circuli possit redigi ad aequale quadratum? etsi autem multi hoc artificium explicare sint aggressi, nunquam tamen se penitus expedire potuerunt. Inuentus est nuper iactator quidam insignis, qui ausus est scribere, omnes alios hactenus deceptos fuisse in quadrando circulo, se autem Quadraturam omnino scientificè demonstrasse: quod an verum sit, iudicabunt harum rerum periti. Placet mihi sententia Galeni nostri,

nostri,